STATVS VENETORVM,

SIVE

Breuis Tractatus.

De Origine & vetustate Venetorum:
De Dominio & ditione:
De ratione administrationis eiusdē dominij:
De acceptis siue prouentibus, & expensis:
De apparatibus bellicis:
De successibus in bellis:
De Vicinis.

CONSCRIPT:
A
PAVLO PALCZOWSKI DE PALCZOWICE.

Plutar: Cato: Maior:

Virtute Politica, præstantiorem nullam homo assequitur.

CRACOVIÆ,
In Officina Lazari, Anno Domini,
1605.

Approbatio

Magnifici ac Reuerendi Viri,

DOMINI PETRI GORCINII,

Rectoris Academiæ, & Canonici Cracouiensis.

RES VENETA IPSA POTENS, QVIBVS EST ILLVSTRIS, ET AMPLA, FIRMA, DIVQVE MANENS, NON SINE LAVDE REFERT.

ILLVSTRI AC MAGNIFICO D.

DOMINO SEBESTIANO LVBOMIRSKI, COMITI IN WISNICZ, CASTELLANO VOYNICENSI, CAPITANEO *Scepuſienſi, Dopcicenſi, &cæ.*

DOMINO ET AVVNCVLO MEO *obſeruandiſsimo.*

SOLENTII, QVI LONGINQVAS peregrinationes ſuſcipiunt, finitis ijs, quid peregrinando viderint & audiuerint, publicis ſcriptis oſtendere. Hinc tot libri inſcripti, *Peregrinationes, Artes Apodemicæ, Deliciæ peregrinantium, Itineraria, etc.* Inter quos is cui titulus eſt: *Hieroſolymitana Peregrinatio Illuſtriß: D. Nicolai Chriſtophori Radziwili, Ducis in Olika & Nieſwieß, &c.* excellere mihi videtur, tùm ob deſcriptionem regionum remotiſsimarum, tùm ob varietatem rerũ admirandarum. Ac ego quidem, cùm ſedecim annos cõtinuos alienas terras & regiones viſerim; ac inprimis Germaniam, Belgium, Angliam, Galliam, & Italiam peragrauerim; nunc verò Deo comite ſaluus & incolumis in patriam redierim; ſi Conſilium & Exemplum tot ac tantorum virorum ſequar; an quiſquam me iure reprehẽdere poſsit?

Quid verò cõmemorem? an monumenta, antiquitates, metalla, mõtes, planities, ſyluas, lacus, flumina, maria, monſtra, & cætera eiuſmodi? Minuta iſta ſunt, & ferè omnium eorum qui peregrinationes ſuas deſcribunt, cõmune argumentum. Quid ergo? an Platonẽ ſecutus, quid in ijs regionib: & Reſpub: in quibus vixerim, bene cõſtitutum ſit, referam? Id verò operæpretium videtur. Sed inter tot Reſpub: quam potiſsimùm eligam? Certè eam quæ optimè & ſapientiſsimè ſit inſtituta; qualem eſſe Venetorum, vel inde facilè perſpici poteſt, quòd tot ſeculis ſalua & incolumis perſiſtat. *Nulla enim hominũ ſocietas in felici gradu diu permanere poteſt, niſi habeat rectricem ſui Conſilium & Sapientiam.* Sed opuſculum hoc cuius tutelæ vel gratiæ commitam? non diù nec ancipiti conſilii lance mihi de eo deliberandum: tuo Nomini vir Illuſtris ac Magnifice offerendum eſt. Materiam conſidero? Politica & ciuilis eſt; & tu Politica hac virtute præſtantiorem nullam eſſe ducis. Et meritò. Hac enim duce ad tot honorum gradus perueniſti; nec adhuc pedem figis. Nam vt omittam alias dignitates, quis ignorat tot Capitaneatus, Sandecenſem, Scepuſiẽſem, Dopcicẽſem, & non dudum Caſtellanatum Woynicenſem, virtutis tuæ Politicæ partim militaris, partim togatæ præmiũ & mer-

& mercedem vel potius teſtem exiſtere? Quid te aliud in locum Senatus huius Regni promouit, niſi Prudẽtia tua Politica? Et quidem cùm Reſpub: Venetorũ prudẽtiſsimè, vt dixi, & maximè politicè ſit ordinata; omnes ij qui Rebuspub: cũ dignitate præeſſe volunt, ſemper ſibi laudi ducunt, illius Reipub: ſtatum, &, vt ita dicam, naturã cognoſcere. Etſi enim non omnes illius leges & inſtituta, formæ eius Reipub: quam gubernant conuenire ſciant; nihilominus tamen eo delectantur, quod Idæam quandam in mente habeant, Reipub: optimè conſtitutæ. In quorum numero cùm tu etiam ſis, & cum virtute hac Politica inprimis delecteris, locũq; in Senatu hui9 Regni omniũ iudicio cũ laude obtineas; cur mihi metuendũ, ne tibi moleſtũ ſit, Tractatũ hunc de Statu illius Reipub: ſub Nominis tui auſpicio euulgatum conſpicere? cur mihi verendum, ne tibi diſpliceat, Nomini tuo dedicata videre ea, quæ te ſcire à tua Prudentia & multiplici rerum politicarum ſcientia nõ alienũ eſſe ducis? En cauſam dedicationis meę, ſed publicam: priuatam etiam addam. Cùm Dopcici eſſem, quantam ego tuam erga me humanitatem, & beneuolentiam expertus ſum? Quoties me admonuiſti, ne domi deſiderem & deliteſcerẽ, ſed ad Regis aulam me conferem, ibi ſtudiorum & peregrinationis

meæ fructus maturitatem expectarem, in ea luce cùm ſpe aliqua verſarer: velle te me conſilio tuo, auxilio, opibus & facultatibꝰ iuuare & promouere: omnibusq́; palam facere, te etiam in ſublimi gradu & celſa fortuna conſtitutum, non tamen dedignari tenuioris cōditionis & fortunæ, propinquos & conſanguineos; ſed potiùs optare vt emergant, tuumq́; ad id auxiliū promptum eis ſemper & paratū eſſe. Aſpiciat igitur lucē Illuſtri ac Magnifico tuo Nomine illuſtratum hoc meū opuſculū. Suſcipe ſereno vultu, Senator Ampliſsime, particulam quandam eius Materiæ, quam dum quotidie tractas, non ſolùm tibi es honori, verumetiam Reipub. emolumento. Accipe benigno animo, ſignum & teſtimonium ſtudij & obſeruantiæ erga te meæ: beneq́; Vale cum omnibus tuis diu ac feliciter.

Tuæ Mag:

Addictiſsimus.

Paulus Palczowski.

de Palczowice.

QVid ais Lector? an mihi vsurpationem alieni laboris & industriæ obijcis? cum de Statu huius Reipub: nonnulla scripta, præsertim Italicè reperiantur. Atqui nihil nunc dicitur, quod non dictum sit prius: & iam dudum libros ex libris componimus. Quid verò si ego ijsdem oculis & eâdem mente, qua illi, qui hæc ante me notarunt & descripserunt, viderim & obseruauerim? Sed sit sanè desumptus iste Tractatus, ex varijs authoribus, (neq; enim id inuitus concesserim, vt te eò faciliorem reprehēsorem habeam, cum hic aliquid inuenias, quod aliter se habere, compertius tibi & exploratius sit) potissimum verò ijs, qui Italicè de eo scripserunt; an propterea nihil omninò hîc equidem egisse tibi videar? At si ita est, vanum igitur eorum studium, qui in aliorū obscurè scripta commentarios suos edunt. Hæc enim opera, aliorum scripta ex vno sermone in alium vertendi, certa quædam est species interpretationis: quin etiam plus præstare videntur ij, qui peregrinis libris latinè reddendis, quam qui aliorum scriptis interpretandis operam nauant; cum plures sint, qui eandem operam desiderent, magisque sint obscurè scripta, Italico, Gallico, Germanico sermone ei, qui easdem linguas ignorat, quam scripta Platonis, Aristotelis, & aliorum Philosophorum ijs, qui studio Philosophiæ incumbunt. Vanus item labor est eorum, qui ea quæ in multis authoribus dispersa & dissipata reperiunt, in certum quendam ordinem redigunt, & in vnum quasi corpus colligunt: postremæque sunt partes Architecti in extruendo ædificio, cum ei ab alijs calx, ab alijs saxa, & id genus alia ad id necessaria supedditentur. An verò me in aliena Repub: curiosum esse dicis? Atqui Peregrinantes vel præcipuo fructu & fine suæ peregrinationis priuas, nisi permittas eosdem esse interdum curiosos. Quid enim? annon re-

ctè Peregrinatio definitur, Peragratio alienarum regionũ, cum intentione in eis inquirendi ea, quæ ad finem studiorum cuiuslibet, assequendum faciunt. *Duplex autem iste finis Priuatus & Publicus. Neque enim nobis solum nati sumus, sed etiam Patriæ &c. Quaobrem Plato iubet eos, qui ex alienis regionibus, domum redeunt, exponere quid in illis notatu dignum viderint. Quid ergo ais Lector? an te nunc æquiorem & benigniorem habeo? an me iam crimine vsurpationis alieni, & vitio curiositatis liberas? præceptoque Platonis obsequi iubes? sed quid si in exponendo errem & hallucinер? Hic verò ad Humanitatem tuam confugio, teque rogo, vt id tribuas difficultati cognoscendi vel mediocriter, Statum eius Reipub: quæ illud Valerij*, Taciturnitatem optimum atque tutissimum esse rerum administrandarum vinculum, *inprimis obseruat: & cum desint vires, vt tamen voluntatem laudes. Si enim huic meò quantolocunque studio fauebis, non solum tuo hoc fauore, error et ignorantia mea ita corrigetur, vt vix appareat, verùm etiam animus mihi addetur, maius quidpiam tentandi, &* omnium eorum locorum, in quibus tot annos vixi, præcipuas ciuitates eo modo describendi, cum Tractatu in fine, de ratione instituẽdi hominis Nobilis, & modo, perfectionem eam, quæ in eum cadere possit consequendi. *Verè enim dictum est a Poeta.*

Laudataque virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Adde, quod semper sic existimaui, Nullum tempus melius insumi, quàm quod legendis aut scribendis libris insumatur. In rebus autem maximi momenti, vel ipsum Conatũ, maximè esse gloriosum. Vale.

STATVS

STATVS VENETORVM.

CAPVT I.

De Origine Venetorum.

VARIÆ SVNT HISTORICO-
rum, de Origine Venetorum, opi
niones. Quidam arbitrantur Ve-
netos non Italiæ indigenas eſſe,
verùm à Venetis Gallis Oceani
incolis oriundos. Hi ſimilitudi-
ne nominis moueri vidētur. Prę-
tereà, quia rei maritimæ ſtudium
& gloriam, qui Adriatici ſinus oram tenuerunt, vt illi,
nunquam neglexiſſent; eſſentque ijs, qui in Gallia ſunt,
ſi non lingua, moribus tamen & ornatu corporis (vt
Polybius ait) perquàm ſimiles. Nonnulli Cappadoci-
bus, eam gentem finitimam tradiderunt, ac cum Cim-
merijs militaſſe, poſteaque Adriam perueniſſe. Alij vi-
cum non longè ab Amaſtri, tenuiſſe arbitrati ſunt. Plu-
rimi originem eorum referunt, ad Paphlagonas Hene-
tos, qui, vt Liuius tradit, Polymene duce ad Troiam
amiſſo, cum Antenore in Italiam venerunt: quæ ſentē-
tia etſi probabilis ſit, tamen, ſi quis rem diligenter con-
ſiderauerit, proculdubiò inueniet, paruam omninò ori-
ginis partem ad illos pertinere. Antenor enim fuit

Troianus; vnde Patauini, & qui eum ſecuti, Troiani ſunt: qui (vt ait Sabellicus) Vbi in Italiam ventum eſt, paſsi ſunt in appellationem Henetorum venire; non quòd aut pauciores eſſent quàm illi, aut dignitate inferiores; ſed quia ſpecioſius viſum eſt faſtigium regiæ dignitatis penes Antenorem & reliquos deinceps ſuos eſſe, quàm nominis appellationem: pluris rem ipſam quàm vmbrã nominis facientes. Similiter ij, qui in Latium cum Ænea venerunt victores, nomen in eos quos viciſſent, transferri facilè tulêre. Adhæc Aquileienſes Latini fuerunt coloni, Concordienſes Romani: hi priſcis Venetis interiecti Gradum Caprulasque tenuére, quum Hunnico tumultu ſolum verterunt. Quod cùm ita ſit, à Roma Latio, Ilioque, Venetorum progeniem veriùs, quam Paphlagonia, Cappadocia, aut Gallia, oriundam duxeris.

Cæterùm vrbis ipſius origo in hunc ferè modum ſe habet. Cùm Hunni Italiæ fines inuaderent, metus eorum feritatis, plùs quam barbaricæ, effecit; vt Veneti illi priſci, de quibus modò dictum eſt, qui circa Adriaticum ſinum amœniſsima loca inhabitabant, vt periculo propiores; ita etiam primi fuga ſibi conſulerent: propinquasque maris inſulas, receptacula nonnũquam piſcatorum, vel potius volucrum maritimarum, quæ illuc apricatum ex alto ſe recipiebant, ſedes, tanquam optima aduerſus impetum & furorem hoſtium propugnacula & caſtella occuparent: Primi tamen authores fugæ

fuerunt

fuerunt Patauini & Aquileienſes, viri illuſtres & mirâ præditi religione: quanto enim quiſque illa tempeſtate veræ pietatis ſtudioſior fuit; tantò magis Hunnum Chriſtiani nominis acerrimum hoſtem, fugit, ſuoque exemplo alios ad idem faciendum commouit. Conſideratâ deinde loci commoditate, cognito eo optimo aduerſus continuas incurſiones hoſtiles præſidio, tutiſſimoque ſalutis ſuæ Aſylo; facto concilio, re deliberatâ, & nuncupatis votis, fortunata mœnia ſolo ſtatui cœperunt: & quidem primum ad Riuumaltum, quem locum Patauini tenuêre: tametſi aliqui velint, in eo loco vbi nunc eſt, templum D. Marci, vrbis ædificandæ factum eſſe principium; & id quidem VII Calen: Aprilis, in quò ferè omnes conueniunt. De anno diſſentiunt. Quidam enim referunt ante euerſionem ab Hunnis Aquileiæ: quidam poſt eiuſdem expugnationem, cœptam ædificari. Cœpit autem obſidione premi Aquileia, anno ſalutis noſtræ, 450. capta tertio poſt anno, vt quidam tradiderunt. Ita vt veriſimillima videatur eorum ſententia, qui aſſerunt, anno 421, prima huius vrbis iacta fuiſſe fundamenta.

CAPVT II.

De Dominio & ditione Venetorum.

DOminiũ Venetorũ diuiſum eſt in duas partes, videlicet in Terreſtrẽ & Maritimam. Poſsident Veneti

in cõtinenti præcipuas ciuitates has, Patauiũ, ſiue vt illi vocãt, Paduã, quę eſt omniũ ampliſsima: continet enim in circuitu nouem milliaria italica. Inſtituta eſt ibi Academia à Venetis, inter alias cauſas propter hanc etiam; vt ea ciuitas, quæ per ſe non eſt ſatis habitata & locuples, redderetur hoc modo populoſior & locupletior. Floret ibi maximè ſtudium Medicinæ & Philoſophiæ: Studium Theologiæ mediocriter exercetur: Studium Iuris omninò ferè languet. Habent præterea Vicentium ſiue Vicenzam, ciuitatem amœnam, plenam Comitibus & Baronibus: territorium eius eſt fertilliſsimũ, producitq́ue vina nobiliſsima. Eorum eſt Verona, omniũ, exceptis Venetiis, pulcherrima, platearũ munditie, longitudine, amplitudine cõſpicua, & parum cedẽs magnitudine Patauio. Sub ipſorũ ditione eſt Brixia ſiue Breſſa, cuius territoriũ maius eſt quàm Veronẽſe, coniunctũ cum Patauino. Tenẽt etiã ciuitatem Bergamum, naturâ loci & arte omnium munitiſsimam.

Hæ igitur Ciuitates, non tantùm ſatis ſunt amplæ, ſatis pulchræ, & ſatis diuites; verùmetiam non procul à ſe, & vix vnius diei itineris interuallo diſtãtes: præterea fortiſsimæ ſunt & munitiſsimæ. Videndo enim Veneti, quòd prælium infelicitèr cum hoſte conflictum, poſsit adducere in periculum totum eum, quem poſsident, Lombardiæ ſtatum; voluerunt ita munire loca illa & ciuitates Lombardiæ; vt etſi eorum exercitus ſemel profligaretur (ex quo intelligitur, quàm inepte

ineptè ab aliquibus quæri soleat, (*vtrùm melius sit ciuitates habere munitas, an verò easdem propugnaculis carere*) nihilominus tamen non decertarent, & periclitarentur de toto eo, quem tenent, Lombardiæ statu. Quamobrem ab anno M. D. IX. vsque ad tempus præsens, ita fortificant ciuitates Lombardiæ; vt ab omnibus iudicentur inexpugnabiles. Habent præterea in Marca Treuisum, Conianum, S. Danielis, Spilēbergum, Venzonam, ac in Foro Iulij, in Sclauonia, Albania & Istria, posſident multas vrbes & castella.

In Mari tenent Veneti Cattarum & Zaram. Eorum præterea est insula Corfu, & insula Candia, quæ continet in circuitu septingenta milliaria italica: producitque vina generosissima, quæ Maluatica vocant. Sed inter omnes ciuitates, quibus tàm in continenti, quàm in mari dominantur, principalem locum obtinēt Venetiæ, quæ sitæ sunt in æstuario maris Adriatici.

Multi opinantur, ciuitates ad mare non esse locandas, cùm inde duo præcipua mala in eos fluant, scilicet, *morbi contagiosi*, causati ex hausto aëre infecto fæcibus marinis putrefactis, & ex frequenti esu piscium: *& peregrini mores*. Cùm enim ad eas propter facilitatem importandi merces, ex omnibus mundi partibus homines confluant; fit, vt vnà cum mercibus multa vitia afferant, easque res, quæ languidos & effæminatos reddant animos: ex quibus deinde interitus earum sequitur. Vnde Cæsar volens reddere rationem, propter

quam populi Franciæ & Belgii, ſint aliis fortiores & bellicoſiores, dicit: *Propterea, quòd à cultu atq; humanitate prouinciæ longiſſimè abſunt, minimèq; ad eos mercatores ſæpè commeant, atq; ea quæ ad effeminandos animos pertinent, importantur.* Verùmtamen probabilior eſt eorum ſententia, qui exiſtimant citiùs, & feliciùs creſcere ciuitates maritimas quàm alias. Huius enim rei teſtis eſt, præteriti temporis Corintus, Atenæ, Alexandria, Carthago, Bizantium: & noſtri temporis in Italia Venetiæ, Genua, Neapolis, quibus annumerari poteſt Roma, propter vicinitatem maris, & commoditatem Tyberis. Nec obſtat, quod de morbis contagioſis, & quod à Cæſare de Belgis, de Sueuis, & Ambianis dicitur. Benè enim ordinatis legibus, & curà magiſtratuum, facilè eiuſmodi mala præcaueri & euitari poſſunt.

Venetiæ igitur ſitæ ſunt in æſtuario maris Adriatici, habētq; in circuitu milliaria italica octo. Tuetur vrbem contra mare furioſum, littus quoddam naturale, ex mari eminens, quod in quinque locis tranſitum nautis & portum præbet, maximè apud duo Caſtella, & apud Cziozam, ciuitatem Epiſcopalem, diſtantem ab vrbe milliaribus 25. Sunt in circuitu Venetiarū, multæ Inſulæ, inter quas Murano eſt celebris, propter vitra Criſtallina, quæ ibi conficiuntur. Diuiſæ ſunt Venetiæ in duas partes, canali, vt illi nominant, *grande*: quarū vna pars ſpectat meridiem & occaſum; altera ortum & ſeptentrionem: habentq; parochias circiter 60, & mo-

naſteria

nasteria circiter 40. Præter canalem magnum sunt alij infiniti, sed minoris latitudinis, profunditatis, & longitudinis. Sunt etiam vici & plateæ, verùm propter canales, transitus per eas non vbique est. Quamobrem superstructi sunt canalibus multi pontes, vt non solùm per aquam, verùm etiam per terram (si terra appellari debeat, moles saxorum & cæmentorum superstructa aquis) commodè vbique transiri posſit. Canalis magnus vnum tantum habet pontem: sed non solùm vno arcu artificiosiſsimè & pulcherrimè, verùm etiam in loco commodiſsimo extructum. Coniūgit enim Riuumaltū locum, vbi mercatores negotiorum suorum gratiâ conuenire solent, cum plateà, quæ ducit ad forum Diui Marci, & templum eiusdem D. Marci magnificentiſsimè fabricatum. Verùm, nè quilibet, cui transeundus est ille canalis, venire prius cogatur ad pontem; multi sunt, qui cum nauiculis, ferè ante cuiusuis ædes expectant; & transire volentes, ab vno loco ad alium transuehunt. Nemo tamen potest operam istam nauare, nisi prius ei sit concessum: nec in quouis loco; sed certis traiectibus certi destinantur: numerus etiam transuehendorū, & pretium certum pro eo labore aſsignatū. Vtuntur Veneti nauiculis istis, quas *le Gondole* vocant, loco equorum, asinorum, & curruum: numerusq; earum est maximus. Etenim præter mercenarias multæ etiam sunt ciuium & nobilium. Commodiùs & citiùs ad quemuis locum peruenitur aquâ quàm terrâ. Pulchritudo

tudo prætereâ ciuitatis meliùs conſpicitur eundo per aquam, quàm per terram. Etenim facies ipſa ædium canales ſpectat, qui cùm ſint plerunq; ampli, detegunt eã & totam conſpiciendam præbent, quod fieri non poteſt in anguſtiis platearum.

Aer Venetijs non eſt admodum ſaluber, nec mirum, cùm ſitæ ſint in locis paludoſis, hominesq́; ex omnibus mundi partibus ad eas confluant, coganturq́; interdum, propter defectum victus, cibos minus ſalubres capere. Verùm quæ cauſa eſt, quòd raro tamen peſtis Venetiis dominetur? Cauſa eſt, optima ratio gubernandi. Inter reliquos enim ciuitatis magiſtratus, creantur etiam tres procuratores ſanitatis: quorum officium eſt, primò, Prouidere, ne quis in ciuitatem intret, ſine litteris (quas appellant *la fede*) quæ oſtendant, cuius ſit nationis, conditionis, & vnde veniat: nec ſatis eſt intrare volenti habere eiuſmodi litteras; verùm neceſſe eſt, vt in omnibus locis, quæ transijt, litteris illis fuerit ſubſcriptum. Aliter enim fieri poſſet, vt aliquis ſanus, ex aliquo loco, egrederetur; verùm loca eiuſmodi tranſiret, quæ eſſent infecta, atque ita infectus eo veniret. Iam id fieri non poteſt, adhibita illa cautione. Dicet aliquis: Quomodo conſtare poteſt Procuratoribus ſanitatis, de aduentu ſingulorum; cùm Vrbs non ſit cincta mœnibus, & vbique aditus intrantibus pateat? Conſtat eis propterea, quia ij, qui homines aduehunt, non egredi eos in terram ſinunt antè, quàm ab eis lit-

teræ

teræ illæ accipiantur. Quod ſi autem aliquem egredi paterentur, antè quàm is litteras oſtendiſſet, idq́; comperiretur; ſeruitiis maritimis in triremibus ad aliquod annos deſtinarentur: quæ vtrum morti ſint anteferenda, multi dubitant. Adhæc in omnibus ferè ciuitatis partibus, ſunt eiusmodi homines, qui venientes naues obſeruant, eis obuiant, diligenterq́ue perquirunt, vndè veniant, quid mercium, & quos homines aduehant. Deindè officium Procuratorum ſanitatis eſt, procurare vt non ſolùm in plateis, verùmetiam in ſingulorum ædibus munditia ſit: & ea quidem ſi non ſatis exquiſita, attamen non odioſa. Tertiò, prouidere, ne quid in foro aut macello vendatur, quod inſalubre aut putridum ſit, quodq́ue homines inficere poſsit. Quod ſi autem ita accidit, vt aliquis quápiam re inficiatur, (quod ſubitò cognoſcunt ex medicis, quibus hoc ab his procuratoribus ſanitatis mandatum; vt ſi quid contagionis in ægroto animaduerterent, móx indicarent) is ſtatìm Lazaretum, locum eiuſmodi morbo affectis deſtinatum, tribuſq́ue milliaribus ab vrbe diſtantem, effertur: nec tantùm is, qui ægrotat, vrbe egredi cogitur; verùmetiam omnes ij, quibus cum ei maximè res fuit: verùm in alium locum conferuntur, ibiq́ue clauſi tenentur 40. dies. Quod ſi intra hoc temporis ſpatium nullo morbo infeſtantur; datur eis facultas in vrbem redeundi. Verùm his omiſsis, ad alia veniamus.

Inuictæ & inexpugnabiles ſunt Venetiæ,propter lo cū in quo ſitæ ſunt. Cùm enim ſitæ ſint in mari,nihil eis nocere poteſt vis peditum aut equitum. Cùm verò poſitæ ſint in eiuſmodi mari, quod non ſit profundum (quod videre eſt in refluxu maris, tum enim multa loca conſpiciūtur ſicca) non ſunt expoſitæ periculo claſſium. Quamobrem Attila, poſt vaſtationem Aquileiæ, fruſtrâ perſecutus eſt eos, qui verſus Venetias ſe contulerunt. Similiter Pipinus, Caroli Magni filius, tempore Obelerij, ducis Venetorum noni,creati anno 804. fruſtrâ tentauit expugnationem Venetiarū, cum claſſe Rauennæ ordinata. Eſt quidem in aliquibus locis profunditas tanta; vt vel maximas naues ferre poſsit (alias enim fruſtrâ ædificatæ eſſent, fruſtrâque in nauali ſeruarentur tantæ Triremes,ſi extra vrbem educi non poſſent, nec ſæpè conſpicerentur magnæ naues, intra ipſam vrbem) verùm ea via, neque omnibus eſt cognita, & eâ euntes præternauigare oportet multa caſtella. Quod ſi igitur ij fuerint hoſtes & peregrini, vltra quod difficillimè viam inuenirent; inuentâ difficulter curſum tenere poſſent: cùm à vi tormentorum, quæ ſunt in caſtellis, quæ præternauigare eos oporteret, repellerentur.

Hæ igitur ſunt qualitates Vrbis Venetæ, nimirum quòd ſit pulchra, quòd ſit commoda, quòd ſit ferè inexpugnabilis, quòd ſit miraculoſa. Pulchra eſt propter palatia & templa (vt hic nihil dicam, de interna eius pulchri-

pulchritudine, nimirum legibus & institutis) quibus abundat: commoda, fortis, & miraculosa, propter locum in quo sita est. Rectè igitur respondit Marianus Sozinus Legatus eò missus, interroganti sese Papæ, quid viderit Venetiis, *se vidisse Impossibile in Impossibili.* Iudicauit enim vir prudens, rem non modò maximè difficilem esse, verùmetiam quasi imposibilem; vt Vrbis tam magnæ, tam pulchræ, & tam antiquæ, fundamentum esset impetuosum, furens, & omnia vastans mare. Adhæc vt in ea hominum multitudo tanta, & tam diuersæ nationis, non modò haberet, vnde viueret, verùmetiam vt benè & virtuosè viueret.

CAPVT III.

De ratione administrationis eiusden Dominij, inprimis verò Venetiarum.

CIuitates Venetorum, quas posident in continenti, gubernantur à duobus magistratibus, nimirùm à Iudicè, quem vocant *Podestà*, & à Capitaneo. Iudex determinat causas ciuiles & criminales. Capitaneus, præpositus est militibus, qui habitant in ciuitate, vel in territorio ipsius ciuitatis: curam is habet mœnium, portarum, victualium, & omnium partium ciuitatis. Verùm sicut Iudici in iudicando adsunt Assessores, homines eximij in legibus interpretandis, & quorum consilio vtitur in diiudicandis causis ciuilibus &

criminalibus; ita præter Capitaneum ſunt etiam alij duo, videlicet Caſtellanus & Camerarius: hic adminiſtrat pecuniam publicam, ille præeſt militibus, qui defendunt caſtellum, geritq́; curam armorum, victualium tormentorum, &cæ. Hi duo ſubiecti ſunt Capitaneo, neque quicquam facere poſſunt ſine ipſius permiſsione & mandato. In ciuitatibus & territorijs paruis, non eſt alius magiſtratus præter Iudicem. Illi enim, qui ſunt Capitanei, Caſtellani, Camerarij, ciuitatum principalium, poteſtatē ſuam exercent in omni etiam territorio.

Adminiſtratio Reipub: Venetæ dependet principaliter à tribus magiſtratibus, nimirùm à Concilio magno, Ordine Senatorio, Principe. Hæc tria membra componunt totum corpus Reipub: Venetæ, reliqua ſunt tantùm accidentaria, & comprehendũtur ſub iſtis, vt Decemuiri, Collegium ſapientum, Septemuiri, &c. ſub ordine Senatorio. Concilium magnum, vocatur illud, ad quod admittuntur omnes nobiles, qui prætererunt 25 annos. Neceſſe eſt autē, vt præter parētes, duo bus teſtibus, viris honeſtis & fide dignis, iureiurando comprobent, quod ſint genere nobiles. In hoc concilio omnes creantur magiſtratus: Sunt tamen aliquæ dignitates, quæ non dantur niſi ab ordine Senatorio, vt eſt dignitas legatorum & aliorum nonnullorum, de qui bus infrà dicetur. Sunt etiam aliquæ dignitates, quæ non dantur niſi plebeis, vt Cancellarij, qui quidem honor maximus eſt, ſed abſque imperio, vt & honor Procurato-

curatorum D. Marci. Ecclesiasticos à magistratibus & concilijs summouere solent. Quo autem modo & qua ratione in creandis magistratibus vtantur, cùm id satis à Contareno, qui etiam latinè est redditus, explicatum sit, hîc de eo scribere supersedeo: hoc tamen repeto & diligenter obseruandum existimo, quod in omni creatione misceant electioni sortem: (quo fit, vt præcludatur via spei ambitiosorum, nec munera quicquam hîc efficere posśint) quodq́ue nunquam vno eodemque tempore, duos eiusdem familiæ eligant: idq́; propterea, vt publica potestas ad plures pertineat, & non reducatur ad paucos; quorum in manibus, si publica esset potestas, facilè aliquid contra Rempub: machinari, præsertim si sanguine sibi proximè essent coniuncti, & turbare eam possent. Et quidem æquum est, vt inter eos, qui æqualiter boni esse debeant, æqualiter etiam officia & honores distribuantur, qui sunt præmium & merces cuiusque virtutis. Ex quo etiam apparet, quod magistratus simpliciter non debeant esse perpetui, tametsi in Monarchia omnes potestates paucis exceptis, perpetuas esse expediat: in popularibus verò & optimatum imperijs, annuos magistratus esse præstabilius est: ita tamen, vt semper excipiantur aliqui magistratus, qui perpetuà quadam stabilitate mobilium magistratuum vices sustineant. Vnde Venetijs nulla imperia, nullæ potestates, nulla collegia iudicum, ac ne Senatores qudem ipsi perpetui, præter Principem, Procutatores

D. Marci, Primicerium ſeu Cancellarium conſilij publici, & quatuor ſenatus Scribas.

Senatus Venetorum legitimus continet 120 Senatores. Omnis cura gubernandæ Reipub: pertinet ad Senatum, ſi eius nomine comprehendantur, Decemuiri, Collegia Sapientum, Septemuiri: Quod Senatus decreuit, habetur ratum & firmum: iuxta Senatus deliberationes pax initur, vel bellum mouetur: prouentus etiam totiùs Reipub: ad mandata eius & expenduntur & ſeruantur. Si tempus & neceſsitas poſtulat, vt ſint pluribus perſoluenda tributa, augendæ decimę, & ſubditorum facultates æſtimandæ, vel vt ab iſtis oneribus liberandi ſint ſubditi, fit id decreto & mãdato Senatus: Leges nouiter à Cenſoribus introductæ, confirmantur à Senatu: Perpetuam poteſtatem obtinet Senatus eligendi legatos, qui mittuntur ad exteros reges & populos: Similiter creatur à Senatu, Collegium eorum, qui habent poteſtatem congregandi Senatum, & referendi ad eum. Hic magiſtratus introductus eſt principaliter propter hanc cauſam, ne naſcerentur in Senatu confuſiones, ſi Senatores pariter & referrent ad ſeipſos res deliberandas, & eaſdem etiam deliberarent. Ariſtoteles vocat hos Proconſultores, quia de rebus ad Rempub: pertinentibus, prius conſilium capiunt, quàm eas res ad Senatum referant. Vulgus eos vocat Sapientes, cùm videantur plus quàm reliqui ſapere. Hic magiſtratus non eſt perpetuus, ſed tantum ſex menſium. Diuiſus

eſt in

eſt in tres ordines. Primi ordinis ſunt Sapientes communi, hoc vocabulo nominati, ſuntque numero ſex: principalem locum inter reliquos iſti obtinent, & habent curam vniuerſalem totius dominij Veneti. Secundi ordinis ſunt Sapientes continentis, ſiue, vt illli vocant, *della terra firma*, & ſunt numero quinq;: principale officium horũ eſt, militibus, qui militant ſub capitaneo Venetorum, omnibus rebus neceſſariis prouidere. Tertij ordinis ſunt Sapientes maris, numero quinque: his incumbit cura rerum maritimarum.

Dictum eſt de Concilio magno, de ordine Senatorio: reſtat vt dicatur aliquid de Principe, qui in hac Repub: non naſcitur ſed eligitur, & quidem hoc modo. Primò, conuocatur concilium, omneſque ciues congregantur, qui annos præterierunt 30: quorum numerus quantus eſt, tantæ mittuntur in quandam vrnam *pallotæ*, vt illi nominãt, calculi ſiue ſortes, triginta tamẽ ſolùm aureæ, cæteræ argenteæ: ex qua vrna, quæ ante tribunal Principis collocatur, & cui omnes proximè aſsident, puer pro quoque ciue (quæ quidem conſuetudo obſeruata fuit etiam à Romanis, cùm eiuſdem Cicero de diuinationeità mentionem faciat: *Sortes quæ fortunæ monitu, pueri manu miſcentur & ducuntur*) ſortes tollit: Quæ ſi fuerint argenteæ, ij pro quibus ſumptæ ſunt, ſubitò diſcedunt concilio, tanquam non amplius participes electionis: Si verò fuerint aureæ, ij pro quibus ductæ ſunt, altá voce à Secretario nominantur, ad

quam

quam nominationem omnes concilio discedunt, qui sunt propinqui eius qui nominatur: tùm ne sorte obtingeret, vt vnius eiusdemque familiæ plures essent participes electionis; tùm vt publica potestas, quæ maximè consistit in electione Principis, ad plures pertineret. Illi verò, quibus sortes aureæ obtigerunt, qui sunt numero 30, in celsum quendam locum se conferunt: & iterum sortitione factà eligunt inter se nouem, & id quidem in præsentia consiliariorum: Hi nouem soli (neq; enim cuiquam datur potestas eos adeundi, & cum eis conferendi) creant, eo modo quo omnes creantur magistratus, quadraginta: quorum si aliquis sit absens, statim vocatur, nec interim ei datur facultas cum quopiam colloquendi: Hi sortitione iterum inter se factâ, reducuntur ad duodecim: qui creant nouem, modo creandi ordinario: Hi vndecim: Hi denique quadraginta vnum, qui postea eligunt principem suffragijs, quibus tamen sortem miscent. Facto enim iuramento, testimonio voluntatis suæ erga Rempub: & studio eligendi, quem maximè ad id idoneum, & ex dignitate ac vtilitate Reipub: existimaturi sint, conijciunt in vrnam cartulas siue schedulas, quibus quisque pro suo arbitrio ac iudicio, inscribit nomen eius, quem dignũ, eo munere existimat; quibus inter se mixtis ac singulatim à præfectis desumptis, is cuius est nomen inscriptum ei schedulæ quæ desumpta est, si est præsens, exit. Interim si quid à quopiam eorum qui eligunt, scitur, quod

quod eum minùs idoneum ad benè defungendum hoc munere faciat, liberè profertur. Vocatur postea, referunturque ei obiecta à præfectis, sine nomine tamen authoris, cùm & altum silentium omnes ante electionem iurârint. Respondet obiectis si potest, & si res ita postulat, sæpius discedit & redit in eadem causâ. Eodem modo omnes candidati examinantur. Tum denique ex ijs, qui reuera idonei iudicantur & sunt, sortis tamen simul beneficio fit Princeps, nimirum cui obtigerint viginti quinque *ballotæ*, siue calculi aurei. Vt autem lectus est nouus Princeps, cuditur noua moneta, cum nomine & imagine Ducis: incedit is cum magna pompâ per forum D. Marci, spargitq; nouam monetam inter vulgus, quousq; ventum fuerit ad certum locum, vbi ducali pileo adornatur. Potestas eius perpetua quidem est, sed valde accisa & truncata. Solus quidem obtinet omnem potestatem, quam habent reliqui omnes; sed ista potestas, ita legibus est frænata, vt ipse solus nihil possit efficere, & cum alijs magistratibus coniunctis, nihil authoritatis (præterquam quod postremus suffragia ferat) habeat plus, quàm singuli, qui funguntut officio illius magistratus. A latere enim Principis, non discedunt vnquam sex consiliarij, qui sunt capita & primarij sex partium, in quas diuisa est ipsa ciuitas. Hi vnà cum Principe gerūt curam omnium rerum, quæ pertinēt ad Rempub: funguntur q; hoc officio sex mensibus. Sine his, aut sine Decēuiris, nec vocare quēquam

 ad se,

ad ſe, nec prehendere, nec iure rogare, nec Principis alicuius aut populi litteras reſerare, aut legatos admittere, aut dimittere, ac nè vrbe quidem inſcijs his exire Princeps poteſt. Quinetiam Falerium Ducem, quod vxorem peregrinam ſibi deſponderat, Decemuiri in crucem egerunt. Præter hunc, vndecim Duces enumerat Sabellicus, vel populari tumultu cæſos, vel ſupplicio affectos, cùm poteſtate abuterentur. Honor eſt ſolus, quo Princeps antecellit & præſtat omnibus in hac Repub: magiſtratibus. Incedit enim veſtitus regaliter auro & purpura: ſedem habet regiam in loco aliquantum eleuato: tecto ſemper capite & ſedens, omnes ciues, Senatores, ſtantes & detecto capite loquentes, audit: omnibus collegijs præeſt: titulo Serenitatis ornatur, cùm cæteri principes Italiæ Celſitudinis titulo ſint contenti: omnibus litteris, quæ mittuntur ad reges & principes, omnibus legibus, decretis & Senatus conſultis affigitur Sigillum, & inſcribitur nomen Principis: omnes pariter litteræ inſcribuntur Principi, & diriguntur ad eum: omnes nummi tam aurei, quam argentei, nomine & effigie Ducis ſignantur. Ad conſeruandam iſtam dignitatem (poſſet enim fieri, vt priuatæ facultates electi Principis ad id faciendum non ſufficerent) ſoluuntur Principi ex ærario publico ſingulis annis, tria millia & quingenti ſcuti aurei tantùm; ſiue vt alij affirmant, & quidem veriſimilius, ſingulis diebus Veneris centum *Cechini*, quod facit circiter ducentos, & duodecim flore-

nos aureos: quos quantuloscunque, in priuatum vſum non licet vertere, ſed omnes in publicum expendere: aliâs enim poſt mortem eius, non ſine mulcta & magna infamia cogerentur hæredes eius reſtituere, ſi quod in eos eſſet collocatum. Quater in anno, iuxta antiquam conſuetudinem, inſtruit conuiuium, pro ſexaginta aut ſeptuaginta ciuibus & Senatoribus. Solet etiam in die Aſcenſionis Domini, aſſumpto ſecum toto Senatorio ordine, magna ſolennitate & triumpho, populiq; applauſu, ſibi mare annulo aureo, in mare proiecto, quotannis deſponſare: in eum, vt aliqui arbitrantur, finem, vt ira maris hâc ratione placata, Veneti meliùs rebus ſuis vacare, & tutiùs nauigare poſsint. Sed veriùs id propterea fit, vt eo ipſo demonſtret ius & dominium in mare Adriaticum, datum & donatum ſibi à Papa Alexandro tertio, cùm is fugiens immanitatem Imperatoris Friderici Barbaroſſæ, Venetias ſe contuliſſet. His enim verbis vtitur Princeps, cùm annulum in mare proijcit: *In ſignum perpetui Dominij maris Adriatici.*

Ex his, quæ dicta ſunt ſuperiùs, ſatis fortaſſè apparet, quæ ſit forma & ratio gubernationis ciuitatis Venetæ: & quòd ea non ſit ſimplex, ſed mixta & compoſita, participetque de omnibus ſpeciebus ſtatuum, videlicet de ſtatu Regio, de ſtatu Optimatum, & de ſtatu Populari. Princeps enim præſefert ſtatum Regium. Ordo Senatoriùs, vnà cum Collegio, repreſentat, certam quandam ſpeciem optimatum. Conſilium autem ma-

gnum ſimilitudinem habet ſtatus popularis. Certùm eſt autem eiuſmodi formam gubernationis omnium eſſe optimam: tùm quod ea comprehendat omnia ea bona, quæ ſingulis gubernationum formis ſimplicibus inſunt; tùm quod minus eam corrumpere poſsint ea mala, maximè verò interna, quæ alias ſingulas gubernationes ſimplices euertere ſolent.

Cauſæ enim internæ, quibus plerunque euertuntur ſtatus Regij, ſunt principaliter Incapacitas Principis, Libido, Intemperantia & Crudelitas. Incapacitas principis (quæ poteſt eſſe propter multas cauſas, & maximè propter pueritiam, ſtultitiam, negligentiam, ſimplicitatem) ſi non animaduertitur & intelligitur à ſubditis, audiunturque ipſius mandata, tunc cœcus cœcum ducit, & deniq; ambò in foueam cadunt. Quòd ſi autem animaduertunt & intelligunt ſubditi, quòd Princeps eorum incapax ſit principatus; venit is in eorum contemptum, ex contẽptu naſcitur inobedientia, ex inobedientia confuſio ſtatus, cùm erit qui imperabit, nemo qui obediet. Similiter, quando Princeps nimis indulget voluptatibus, prouocat & excitat eo ipſo erga ſe inuidiam, & maximè principalium. Vnde illud Saluſtij: *Inuidia orta eſt ex opulentia*: Ex inuidia deinde naſcitur odium, ex odio audacia, ex audacia prorumpunt omnia mala. Similiter, quando princeps nimis crudeliter tractat ſubditos, incutit eis primò timorem, ex timore naſcitur deſperatio, ex deſperatione conſpirationes

rationes & clandeſtina cum alijs nationibus conſilia, & denique proditiones.

Solet quæri, an plures ſtatus pereant libidine principum, an verò crudelitate? Verùm à maiori parte cõcluditur, quod plures ſtatus euertantur libidine, quàm crudelitate. Crudelitas enim excitat erga ſe odium, & parit etiam metum. Libido autem generat odium, & contemptum. Crudelitas igitur præter odium cauſam ſuiipſius deſtruẽtem, habet metum cauſam ſuiipſius cõſeruantem, tametſi debilem: *Malus enim custos diuturnitatis metus*. Libido autem nihil habet, quod eam cõſeruet, cùm & odium & contemptus ei aduerſentur. Prætèrea crudelitas tollit vires vltionis ei, qui eſt offenſus. Libido cauſas ſuiipſius deſtruentes, alit & cõſeruat.

Cauſæ principales internæ, quibus euertuntur ſtatus optimatum, ſunt duæ. Ambitio, & Auaritia. Ambitio verò, aut ipſorum gubernatorum, aut ſubditorum. Videtur enim innata cuique cupiditas honoris, & maximè videtur innata eſſe ijs, qui aliqua excellenti virtute ſunt præditi. Nemo enim ferè eſt, qui multis laboribus & moleſtijs in addiſcenda virtute ſuſceptis, nõ quaſi mercedem earum rerum, deſideret gloriam. Cùm igitur tales videant ſe eſſe excluſos ab honoribus, neque tamen inferiores virtute ijs, qui ſummos in Repub: dignitatis gradus ſunt conſecuti, exiſtunt inde ſæpè turbæ & ſeditiones. Vnde Saluſtius in Catil: *Belli cauſa prima fuit, Libido dominandi*. Ex hoc perſpicitur

quàm periculosus sit status optimatum. Etsi enim Optimates officio suo non desunt, nihilominus tamen subditorum ambitio, sæpè conturbat statum. Etsi autem eum conturbat & labefactat, non tamen funditus tollit & euertit; dummodo Optimates concordes sint & vnanimes, existimenturque à vulgo viri boni, iusti, & prudentes. Dum enim pro talibus à vulgo habentur, destituũtur illi ambitiosi viribus, nec sibi multum de opera & auxilio communi polliceri possunt. Verùm vbi inter ipsos gubernatores nascuntur seditiones, quod plerunque solet euenire propter principatum, dum vnusquisque eorum, & maximè qui diuitijs abundat, primum vult in Repub: habere locum; tùm ex hoc malo nascuntur multa alia, quæ causant interitum status. Dum enim contendunt de loco & principatu, negligunt Rempub: anteponunt priuatas res publicis. Diuites credendo, quod tantò citiùs & faciliùs possint superare suos aduersarios, & consequi id quod velint; quantò plus habeant pecuniæ, omninò se dedunt auaritiæ, omneq; suum studium, omnem curam & diligentiam in augendis opibus ponunt. Quam ob rem multa iniustè ordinant, nouas leges introducunt, multa per vim, multa crudeliter agunt, denique vias eiusmodi quotidiè excogitant, quibus citiùs ad summas diuitias peruenire possint. Ij deinde, qui sunt inferiores alijs diuitijs, ad vulgus sese conferunt, fiuntque populares, & sub specie boni publici, & amoris erga Rempub: accusando

negli-

negligentiam, iniuſtitiam, & nimis imperioſam dominationem diuitum, exiſtimant ſe inuenturos auxilium populare, & ità conſecuturos id quod volunt. Verùm vt fallunt, ita falluntur. Etſi enim à multitudine promptè adiuuantur, dùm eam hoc modò concitant, ad inuidiam & odium contra diuites; denique tamen omnes fiunt præda vincitricis populi, moti ad tollendum ſtatum iſtum paucorum, cauſis malorum præteritis, metu eorundem malorum, deſiderioque libertatis.

Verùm, vt ſtatus iſte Optimatum mutatur in ſtatum popularem, propter nimium deſiderium honoris & gloriæ eorum qui gubernant, propter iniuriam rerum publicarum, & inſatiabilem ſitim diuitiarum; ita immenſum deſiderium libertatis, & omnis generis licentiæ, cauſa eſt interitus ſtatus popularis. Ex vita enim licentioſa, naſcitur contemptus legum: ex contemptu legum vita vitioſa. Eſt enim Lex norma & Regula viuendi, ſecundùm virtutem. Vbi autem vitia regnant, fieri non poteſt, vt illa Ciuitas diu duret. Verèque à Seneca dictum : *Vbi non eſt pudor,*

Nec cura iuris, ſanctitas, pietas, fides:
Inſtabile regnum eſt.

Hæ ſunt cauſæ principales internæ, quibus corrumpuntur & mutantur Status. Cauſæ externæ ſunt, Potentia hoſtium, fraudes inimicorum, & benè ordinati alij Sratus. Verùm, quæ cauſæ ſunt magis pernicioſæ; ſine

dubio

dubio internæ. Raro enim euenit, vt vires externæ peruertant aliquem ſtatum, niſi eum prius labefactârint, & corrumperint interna vitia.

Has igitur cauſas tollit Reſpub: mixta, & ita temperata, vt olim fuit Romanorum, Lacedæmoniorum, & Carthaginenſium, & vt eſt nunc Venetorum. In Repub: enim ita ordinata, non poteſt deſiderari prudentia. Quemadmodum enim Ariſtoteles inquit. *Alij quidem aliud: Omnes autem omnia vident.* Incapacitas Principis non habet hîc locum. Non enim in tali Repub: naſcitur Princeps, ſed eligitur: non autem eligitur niſi is, qui ſit aptus ad tale munus obeundum, cuiuſq; prudentia, induſtria, temperantia, & fortitudo, in officijs obitis probata ſit & perſpecta. Nec poteſt Princeps omiſſa Repub: omninò ſeſe dedere voluptatibus. Non enim habet in manibus pecuniam publicam: nec eam in res quas vult collocare poteſt, ſed ei tantùm de pecunia publica datur, quantùm ei ſufficiat, ad conſeruandum ſuæ dignitatis gradum. Neque etiam Tyrannidem exercere poteſt. Poteſtas enim ipſius non eſt abſoluta, ſed ita legibus limitata; vt ſolus nihil poſsit facere, & cum alijs non niſi benè. Denique ambitio & auaritia magnatum, leuitas, inſtabilitas, & furor multitudinis non poſſunt peruertere ſtatum, ita temperatum. Quia in eo quaſi omnes fiunt participes honorum publicorum. Et quamùis pars aliqua egredi vellet præſcriptos ſibi terminos, velletque tumultuari, & officio

ſuo

ſuo deeſſe. (vt plerunque euenire ſolet tempore pacis, rebusq́ue proſperis, & ad voluntatem fluentibus) non tamen voluntati ſuæ ſatis facere poteſt. Vnius enim partis vires, alterius conatum, & impetum, impediunt & cohibent. Quemadmodum autem Reſpub: ita conſtituta, tempore pacis apta eſt ad defendẽdam ſeipſam, tollitq́; cauſas internatum ſuarum ruinarum; ita quando ei aliquod periculum externum imminet, tantum habet vigorem & tantas vires; vt videatur inuicta & inexpugnabilis. Sicut enim tempore pacis commune ei fuit bonum; ita etiam tempore belli commune eſt omnibus periculum. Vnde euenit, vt omnes partes cogantur conſpirare, & mutuò ſeſe adiuuare, neque ab vlla parte deſideretur fides, aut diligentia in exequendo negotio, rebuſq́ue ad finem bonum perducendis.

CAPVT IIII.

De acceptis ſiue Prouentibus, & Expenſis.

VNius atque alterius partis Dominij Veneti prouentus ſunt maximi: maiores tamen ſunt terreſtres, & ſpecialiter Lombardiæ. Prouentus annui Patauij ſunt circiter 140000. ſcut: Vicentium pendit ſingulis annis circiter 36000. Verona 90000. Brixia 10045. Bergamum 60000. Cattarum & Zara 100000. Inſula Candia, & Inſula Corfu, 800000. Prouentus annui Venetiarum excedunt circiter 600000. ſcut:

Quæ omnia faciunt ſummam monetæ noſtræ Polo: circiter trium millionum flore: quæ ſumma inprimis colligitur ex vectigalibus, decimis,& æſtimationibus. quæ propterea ita dicuntur: quia omnium nobilium & ciuium facultates æſtimantur, & iuxta illam æſtimationem perſoluitur à quouis Ciue pecunia. Quòd ſi neceſsitas poſtulat, vt prouentibus extraordinariis pecunia ſit conquirenda, vectigalia augentur, multiplicantur decimæ, facultateſque ciuium & nobilium pluribus æſtimantur. Præterea magiſtratus quidam venduntur, facultaſque nobilibus, pro pecunia datur, ante tempus ſolitum intrandi in Concilium magnum. Atqui etiam plebeij,data pecunia, in patritiorum album referuntur; vt eadem qua patritij prærogatiua fruantur, vt bello Genuenſi factum.

Verùm vt accepta, ita etiam expenſa feruntur maxima, & vix quicquam remanet, quod in ærarium reponatur. Dantur enim annuatim ſtipendia peditibus & equitibus, quorum numerus eſt duorum millium: & eſt iſta militia conſtituta & diuiſa in illas Lombardiæ partes, quæ requirunt perpetuas cuſtodias & vigilias. Poſſunt autem ibi facilè ali & ſuſtentari propter multitudinem & abundantiam earum rerum, quæ ad victum pertinent. Multa præterea annuatim perſoluunt ijs, quorum operam & virtutem Reipub: ſuæ, tempore periculoſo prodeſſe poſſe ſciunt, nimirùm ijs, quorum felicitatem, experientiam & fortitudinem cognouerunt.

Tales

Tales omnibus modis deuincire ſibi ſolent: & quamuis nihil ſit præſentis periculi; nihilominus Capitaneos ſuos prædicant, & annua ſtipendia eis perſoluunt. Sunt etiam in mari multæ Triremes armatæ,tum propter defenſionem Status maris; tum vt ſecurè mercatores nauigare & rebus ſuis vacare poſsint. Quælibet Triremis habet CL. remiges, vltrà hos milites LXXX. Ita cõputatis computãdis conſtat quælibet Triremis ſingulis menſibus, circiter 700 ſcut: id eſt, circiter mille florenos. Multa præterea expenſa feruntur, in conſeruando apparatu bellico maris & terræ: in alendo homines doctos in Academijs & ſcholis publicis: in ſoluendo nonnullis magiſtratibus & miniſtris publicis: in fortificandis caſtellis & arcibus, &cæ:

CAPVT V.

De Apparatibus bellicis.

QVantum Veneti habeant apparatum bellicum maris, oſtendit eorum Nauale, quod in circuitu continet ferè duo milliaria Italica: cinctum eſt hoc mœnibus, habetque plus quàm ducentas Triremes, quarum aliæ ſunt magnæ, aliæ mediocres. Cuilibet Triremi tempore belli præeſt nobilis quidam Venetus, quem Supracomitem vocant: is curam habet omnium rerum, quæ ad conſeruandam ſuam triremem, & benè in ea pugnandum pertinent: habet ſummam poteſtatem in mi-

lites, quos habet in sua triremi, excepta potestate vitæ & necis. Vltra istos Supracomites est Legatus totius classis bellicæ, qui non est Capitaneus, sed tantùm locumtenens generalis Capitanei: creatur is tempore pacis: Generalis autem Capitaneus, non eligitur nisi tempore summæ necessitatis: illius potestas summa est in mari & in gubernanda classe, huius in omnibus etiam prouincijs, tàm terrestribus quàm maritimis; similisque est Dictatori Romanorum, nisi quod in omnibus rebus obediat authoritati Senatus, & decretis Reipub: Venienti aliquo obuiam itur, tam à spiritualibus, quam à secularibus: claues portarum & castellorum, pecuniæque publicæ ei traduntur: causas tam criminales quam ciuiles determinat, nec vlla conceditur Appellatio. In summa. Nullius magistratus apud Venetos maior est authoritas & potestas. Cùm autem sit periculosum vni ciui tantam concedere potestatem in Repub: propterea rarò id fit, & tantum tempore & rebus sic postulantibus.

Non debet hîc silentio prætermitti lex, qua cautum est, vt nullus Capitaneus, aut locumtenens generalis Capitanei, cum Triremibus armatis Venetias veniret: verùm vbi peruentum fuerit ad Istriam, prouinciam ferè centum milliaribus Italicis à Venetijs distantem, vt ibi persolueretur nauticis & militibus, subitòque hi dimitterentur. Inde solent conduci Triremes Venetias & locari in Nauali.

Sunt

Sunt in Nauali amplissimæ salæ, plenæ aliæ omnis generis tormẽtorum bellicorum & bombardarum, aliæ omnis generis armorum. Quamùis enim ij milites qui veniunt, vt eis seruiant, afferunt secum arma propria; tamen cùm ea arma, quibus pugnatur in terra, differant ab ijs armis, quibus dimicatur in mari; propterea eiusmodi arma plurima in armamentario reperiuntur. Videtur ibi magna copia ferri, æris, telæ & lignorum. Hic purgatur & liquefit ferrum, vt inde cudantur claui & anchoræ: illic æs, vt inde formentur omnis generis tormenta bellica. Hic stringuntur funes & vela extenduntur: illic fabricantur remi, arbores & tabulæ: Nihil præterea non agitur, quod ad rem bellicam non pertineat. Denique ibi videtur, realis quædam, vt ita dicam, Idæa prouisionis necessariæ, principis qui semper vult esse armatus: ita vt prudenter dixerit Alfonsus de Aualos, Marchi de Vasto, cùm vidisset & considerasset apparatum istum, *malle se habere Nauale & armamentarium Venetorum, quam quatuor optimas ciuitates Lombardiæ*. Equidem haud scio, an vllum armamentarium in tota Europa reperiatur, quòd huic comparari posit; excepto eo quod vidi Dresdæ, quod quidem in apparatu nauali huic facile cedit. At verò in apparatu terrestti, & dispositione rerum omnium, fortasis etiam præstat.

Qualis sit apparatus terræ, ex eo, quod dictum est superius, intelligi potest. Quòdsi autem aliquando ne-

cesſitas requirit, vt augeatur militum numerus, augetur is militia mercenaria, & conducitur aliundè. Nam ij quos conducere poſſunt ex locis ſuæ ditionis pauci ſunt.

Verùm principalis apparatus, & neruus belli, eſt pecunia, cuius quantam habeant copiam Veneti, credibile non eſt. Nec obſtat, quod ſuprà dictum eſt, expenſis factis, parum eis remanere, quod in ærarium reponere poſsint; cùm *addendo parum modico, magnus cumuletur aceruus.* Tametſi eorum theſaurus, non tam conſtat ex parata pecunia, quàm ex gemmis & vnionibus. Inter alia eſt ibi mitra Ducalis, Cratera tota ex ſmaragdo, & Carbunculus valoris inæſtimabilis. Magni etiam æſtimatur à Venetis (non tam ob rei valorem, quàm eiuſdem datorem) Adamas, inſignibus regni pulchrè interpoſitus, Henrici tertij, regis Gallorum, quem eis dono dedit, cùm inde in Galliam iret.

Quæſtio autem hîc oritur duplex. Prima, vtrùm deceat Principem theſauros cumulare. Secunda, vtrum ad defendendum ſeſe, vel offendendum alios, magis proſit multitudo pecuniæ, an verò militum. Sunt qui dicunt, nihil minus decere Principem, quàm ſtudium conquirendæ pecuniæ: tum quia minuit amorem ſubditorum; tùm quia reddit nimis confidentem Principem. Minuit amorem ſubditorum, aut quia ij dubitant, nè in ſuam perniciem Princeps pecuniam cumulet: aut quia plerunque ſitim iſtam diuitiarum Principum,

pum, ſudoribus ſuis & lachrymis explere coguntur. Reddit autem multitudo pecuniæ nimis confidentes Principes, propter effectus ſuos incredibiles & infinitos. Quia enim in omnes partes maximam vim pecuniæ eſſe vident, vbi theſaurum cumulauerunt, nihil eſſe tam firmum credunt, nihil tam potens, quod Statum eorum, non dicam euertere, ſed labefactare poſsit, omniaque ſe efficere poſſe exiſtimant. Vnde fit, vt amicitiam vicinorum contemnant, pacem odiant, maiora ſuis viribus aggrediantur, bella neque neceſſaria, neque vtilia moueant, omnes denique vias ac rationes bene gubernandi negligant. Ex quo euenit, vt ſæpè perdant Status, & theſauri eorum perueniant in manus hoſtium eorum. Ita euenit *Sardanapolo*, qui 40, milliones aureo: reliquit ijs, qui eum interfecerunt. Reliquit Darius 80, milliones Alexandro Magno, qui eum expulit regno. Perſeus ſimiliter magnam pecuniæ ſummam reliquit ijs, qui eum regno priuauerunt.

Etſi autem hæc à multis dicantur, negari tamen illud à nemine poteſt, quin *Felix illa ciuitas ſit, quæ tempore pacis timet bellum*. Felices igitur & ſapientes erunt etiam Principes, qui tempore pacis theſauros cumulabunt, propter vſum & neceſsitatem belli, in quo id fieri & difficilè eſt & periculoſum. Difficilè, quia ſtrepitus armorum, cùm impediat mercaturas & negotiationes, culturam agrorum & collectionem frugum, neceſſariò etiam obſtat, quò minus pecuniam habere poſ-

ſint

ſint ſubditi. Periculoſum, quia ſi ſubditi vltra calamitates belli, licentiam & crudelitatem militum, tributis etiam â Principe torquebuntur, facilè animo concident, & in deſperationem cadent, conditionibuſque hoſtium aſſentientur.

Porrò multi exiſtimant, plus emolumenti adferre Principi ad defendendum ſeſe, vel offendendum alios, multitudinem militum, quàm pecuniæ. Hanc quidem dicunt eſſe neceſſariam, verùm eſſe neceſsitatem talem, quam per ſe vincunt boni milites, nec fieri poſſe, vt bonis militibus deſit pecunia. At verò, non ſemper vbi pecunia, ibi & miles. Secundò, dicunt pecuniam non eſſe cauſam principalem vincendi hoſtis: aliâs enim qui plus opibus pollerent, eos qui minùs ijs valerent vincerent: atque ita Darius viciſſet Alexandrum, Græci Romanos, noſtrorum patrum tempore Papa, cum Florentinis coniunctus, facilè ſuperaſſet Ducem Vrbinenſem: neq; perdidiſſent Veneti ferè omne ſuum terreſtre Dominium, tùm cùm maximè refertum pecunijs habuerint ærarium. Tertiò, afferunt authoritatem Solonis, qui Cræſo Regi Lydiæ opes ſuas oſtentanti, & quærenti quid de ſua potentia ſentiret, reſpõdit, *quod eum propter innumerabilem eius theſaurum, quem ſibi oſtenderet, minimè iudicaret potentem, cum bellum ferro non auro geratur: poſſe autem aliquem plus ferri habere, & ei vnà cum regno opes auferre.* His rationibus aliæ opponuntur, atque ita reſpondetur. Primò, cùm Annibal

nibal (vt refert Liuius) Romanos ad Cannas viciſſet, miſit litteras Carthaginem, quibus Carthaginenſes, de omnibus rebus, à ſeſe fortiter & feliciter in Italia geſtis, certiores faceret; nimirum, quòd cum ſex Imperatoribus, quorum quatuor Conſules, duo Dictator & Magiſter equitum fuerunt, cum ſex Conſularibus exercitibus acie conflixerit, ceciderit ſupra ducenta millia hoſtiũ: ſuprà quinquaginta millia ceperit. Ex quatuor Conſulibus duos ſe occidiſſe, ex duobus ſaucium alterum, alterum toto exercitu amiſſo, vix cum quinquaginta hominibus effugiſſe: magiſtrum equitum, qui conſularis poteſtatis fuerit, fuſum fugatumque. Dictatorem, quia ſe in aciem nunquam commiſerit, vnicum haberi Imperatorem. Brutios, Apulosque, partem Samnitum ac Lucanorum, defeciſſe ad Pœnos. Capuam quod caput, non Campaniæ modò, ſed poſt afflictam rem Romanam Cannenſi pugnà Italiæ fuerit, ſibi ſe tradidiſſe. Ad fidem demum tam lætarum rerum, effundi in veſtibulo curiæ iuſsit annulos aureos, qui aliquot modios expleuerunt. Adiecit deinde verbis, quo maioris cladis indicium eſſet; neminem, niſi equitem eorum ipſorum, id gerere inſigne. Tantæ & tam glorioſæ legationis quæ fuit ſumma? *Quo propius ſpes belli conficiendi ſit, eò magis omni opera iuuandum Annibalem eſſe: procul enim à domo militiam eſſe, & in media hoſtium terra: magnam vim frumenti pecuniæque abſumi, & tot acies, vt hoſtium exercitus deleſſe, ita victoris etiam copias par-*

te aliqua minuisse. Mittendum igitur supplementum esse, mittendum in stipendium pecuniam. Summa nimirum Orationis fuit, vt pecuniam Annibali Carthaginenses mitterent. Quomodo igitur boni milites vincent ipsi per se necessitatem pecuniæ; si milites Annibalis facere id non poterant? Cur defuit militibus Annibalis pecunia, cùm militibus bonis facilè sit inuenire pecuniam? An non erant boni milites, Annibalis milites? Certè optimi. Quamùis igitur tum temporis priuatis inimicis Annibalis, Summa legationis istius non probaretur, videreturque non necessaria Annibal petere, cùm tantas victorias & prædam obtinuerit: tamen id à Senatu approbatum est, sententiaque eius, quòd tantò citius vincere posset hostes, quantò plus ijs haberet pecuniæ, sapientissima fuit iudicata, multaque propterea talenta argenti ei missa sunt. Tametsi autem concederetur, bonis militibus non deesse pecuniam, negari tamen hoc non posit, quin quærendo eam in hæc plerunque incurrant vitia. Primò, vt asuefiant rapinis: vnde à direptionibus earum ciuitatum, quas non diripi ad summam rei pertineret, contineri non possunt: *sæpèque*, vt ait Tacitus, *obstat vincenitbus priuum inter ipsos certamen, omisso hoste spolia consectandi.* Deinde vt principalia officia militaria negligant. Tum, vt sæpè necessitate coacti pugnent, & ita necessariò etiam vincantur, quẽadmodum accidit Cleomeni. Denique, vt inobedientes sint Capitaneo. *Tales enim à natura ferè omnes sumus,*

mus; vt à quo nos nihil boni accepturos videamus, eius imperium repudiemus. Ad ſecundam obiectionem reſpondetur, quod illi, qui victi ſunt, non ſunt victi, propter defectum principalis cauſæ, ſed propter defectum aliarum cauſarum, quæ ad principalem pertinebant. Et ſi vllum eſt exemplum, quo vis & effectus pecuniæ in bellis demonſtrari poſsit, eſt profectò idem exemplum Venetorum. Quamùis enim hoſtes eorum, pluribus & ijs quidem optimis militibus eſſent inſtructi; tamen paruo temporis ſpatio, omnia quæ amiſerant recuperârunt; propterеà, quia plus pecuniarum quàm hoſtes habuerunt. Authoritati Solonis, opponitur authoritas Damedis, Tucididis, Periclis, vt omittam alios. Iubentibus enim Athenienſibus, vt Damedes triremes in aquam conduceret, proſpiceretque eis, militibus & nauticis, is autem nondùm inſtructus à pecunia eſſet, reſpondit: *Primum cogitandum de pane, & deinde de conducendis in aquam triremibus.* Tucidides ſcribit de Pericle, lib:23. cap: 233. quòd inter alia argumenta, quibus cohortatus eſt Athenienſes, ad perferenda incommoda belli, primum hoc fuit, *ſiquidem victoriæ potiundæ, ſpes magna eſſet, & ea quidem propter Conſilium quo valerent, & multitudinem Pecuniæ quam haberent.* Idem ſcribendo in principio ſuarum hiſtoriarum de bellis, quæ fuerunt ante bellum Troianum, concludit non fuiſſe ea magna & attroica, & id quidem eueniſſe *non propter defectum Gentis, ſed propter defectum Pecuniæ.*

CAPVT VI.

De Successibus in bellis.

DIu ac varia fortunâ cum multis populis Veneti pugnarunt: verùmtamen plerunque ad extremum victores euaserunt: idque magis, Virtute ac Consilio factum, quàm Fortuna. Diuturnum eis bellum fuit cum Imperatoribus Græcis, & regibus Vngariæ, cuius belli præmium obtinuerunt, omnes eas insulas, quas habent in mari Ionio & Egæo, omnesque eas prouincias & ciuitates, quas nunc tenent in ora Istriæ, Dalmatiæ, Albaniæ, & Moreæ. Cùm Turcis infelici Marte plerunque conflixerunt: Insignis tamen & celebris est victoria, quam ad Cursulares insulas reportârunt: post quam victoriam, nihil ab vtraque parte tentatum est. Varia fortuna decertauerũt in Soria cum Genuensibus: denique tamen virtute M. Victoris Pisani, & M. Caroli Zeni, & M. Iacobi Gabelli Veronensis, & aliorum suorum Ducum victores remanserunt. Sæpè etiam de toto eo, quem nunc pacificè possident Lombardiæ statu, periclitati sunt.

Aduersa eorum fortuna fecit, vt plerunque soli cum multis, & quidem potentissimis hostibus pugnare cogerentur. Virtutis autem & consilij eorum fuit tempestates, quæ sibi impẽderent, euitare, consilia hostium conturbare, & si quid ij sui Dominij occuparunt repetere posse. Anno Domini, 1508, indixit eis bellum

Impera-

Imperator, Rex Gallorum, & Iulius Pontifex: Erat eis prætereà pugnandum cōtra Marchionem Mantuanum ad Asulam: Dux quoque Ferrariæ terra mariq́ue bellum eis intulit: Adhæc Rex Hispaniæ requirebat ciuitates in Apulia oppignoratas: nihilominus tamen omnia ista prudentissimè composuerunt, periculaq́ue sibi imminentia tàm grauia & attrocia, cautissimè effugerunt; vt dubitari non debeat, quin ad tantum imperium peruenerint, magis Virtute duce quàm Fortuna: quod vltrà allata exempla probabiliter etiam sic comprobari potest. Si enim inter Respub: Christianas non fuit vlla, quæ fecerit maiores progressus, factum est id propterea, quòd nulla fuit Respub: ita benè ordinata & instituta ad acquirendum & ad tuendum acquisita. Iam verò viæ ac rationes acquirendi, & acquisita tuendi, non possunt monstrari & manare, nisi à Prudentia & Cōsilio, quod *cum Fortuna & temeritate non commiscetur.*

CAPVT VLTIMVM.

De vicinis.

TEnent confinia Veneti, cum quatuor Dominis potentissimis (vt omittam alios) nimirum cum Pontifice, cum Rege Hispaniarum, cum Imperatore, cum Turca. Pontificem sibi omnibus, quibus possunt demerentur officijs, cùm eum esse videant Arbitrum rerum Christianarum.

Potentiā regis Hiſpaniarū non admodū formidant, tū quia melius eo ſunt inſtructi à nauibus,& maximè triremibus: tum quia animos ſubditorū eius,maximè verò Apulorum, & Calabrorum, mutuis mercaturis, & negotijs ſociatos, ac deuinctos tenent: tum deniq; quia ſibi de cōmuni omniū Principum Italiæ auxilio pollicētur, ſi regis Hiſpaniarum cupiditas, eorum etiam fines inuaderet. His enim occupatis quid expectandum eſſet toti Italiæ, niſi huius vnius imperium & dominatus?

Vires Germaniæ, etſi magnas eſſe ſciant, & aliquando cum ſummo periculo totius ſui Dominij experti ſint; tamen non tantoperè eas nunc timent: Primò, cùm videant bello Turcico ſiue Vngarico impeditas & attritas. Deinde, cùm ad retundendas eas, fortiſsima habeant in confinibus caſtella & propugnacula. Denique, cùm ſciant eſſe diſiunitas, nec vniri eas facilè poſſe. Eſt enim diſiunctio Germaniæ triplex. Primò, diſiuncti ſunt inter ſe Principes & ciuitates liberæ: quam diſſenſionem faciunt diuerſi fines, quos vtrique ſibi propoſuerunt: illi enim ciuitatibus liberis dominari; hæ libertatem ſuam conſeruare ſtudēt. Eſt prætereà diſſenſio & ſimultas, inter Principes, & Familiam Auſtriæ, quam peperit Inuidia. Principes enim inuident fortunam & felicitatem illius Familiæ,tam diu ſceptrum Imperij tenentis. Denique odium eſt acerrimum inter Catholicos & Proteſtantes. A parte horum ſunt omnes ciuitates liberæ, & ferè omnes Principes ſeculares

culares: ab illorum parte eſt Imperator cum nonnullis Principibus.

Ne Turcam hoſtem habeant, omni ſemper ſtudio ac diligentia id procurant. Nimis enim difficile & periculoſum eſt eis bellum cum Turca, Primò, quia omnes eorum Iuſulæ & ferè omne dominium maris, vicinius eſt Turcæ, quàm ipſis, propter interuallum maris. Difficilè igitur illis inſulis à Venetis ſuccurritur, facilè autem à Turca oppugnari & occupari poſſunt. Deinde, quia gerendo cum Turca bello, mercaturas in Oriente exercere non poſſent: vnde fieret, vt non ſolùm priuatorum facultates, verùm etiam publicæ opes, quæ ſunt nerui belli diminuerentur. Poſtremò, quia multa ad victum neceſſaria, illi populi qui oram Albaniæ, Dalmatiæ, Sclauoniæ incolunt, eorumque imperio parent, deſiderarent, quæ aliâs ad eos ex locis ditioni Turcicæ ſubiectis aduehuntur.

FINIS.